[illegible] GENT[illegible]

ET

CONVERSIONE JUDÆORUM,

Quæ Divinâ assistente gratiâ ex S. Scripturâ demonstrantur.

A

PAULO TARCZALI, Ung.

S. Sanctæ Theologiæ studioso, in Illustri Anglorum Academiâ OXONIENSI.

Psal. 51. 18. *Benefac in voluntate tuâ Tzijon, ædifica muros Jerushalaimorum.*

c. 1794

OXONII,

[illegible] LEON[illegible] D. Acad. T[illegible]

VOCATIONE GENTILIM

ET

CONVERSIONE JUDÆORUM.

Quæ Divinâ assistente gratiâ ex Scripturâ demonstrantur.

A

PAULO FARCZALI, Ung.

S. Sanctæ Theologiæ studioso, in Illustri Angliæ Academiæ OXONIENSI.

Psal. 51. 18. *Perfecta [illegible]*

OXONII,

ADMODUM REVERENDO AC ERUDITISSIMO VIRO, DOMINO

PETRO MEWS,

LL. *Doctori, Collegii* D. Johan. Bapt. *Præsidi, Decano Roffens., Florentissimeq; Academiæ* Oxon. *Vice-Cancellario meritissimo,*

NEC NON

REVERENDIS AC DOCTISSIMIS VIRIS *in Illustri Academia* Oxonienſi, *S. Sanctæ Theologiæ Doctoribus, veritatis Orthodoxæ Assertoribus acerrimis, Dominis in Christo Jesu Venerandis.*

ITEM

GENEROSO AC VERE NOBILI VIRO

D. D. *JACOBO HARSANYI Ung.*

Quondam studiorum gratia in Germania, Anglia, & Scotia, *unacum meo Parente peregrinanti; nunc verò Serenissimi Ducis* Brandeburgici, & *S. R.* Imperii Electoris, *Consiliario intimo, Domino, benevolo plurimum honorando.*

Hoc Exercitium Theologicum Dedicat & offert
PAULUS TARCZALI, Ung.
S. S. Theologiæ studiosus.

DE VOCATIONE GENTIVM.

THESIS PRIMA.

MUltæ & præclaræ in Sacris literis extant Prophetiæ, præsertim in V. Testamento, quibus viri acti à S. Sancto, explicarunt quid Deus facturus esset, tum ante Christi apparitionem, tum post ejus mortem & ascensionem in cœlum: quid futurum esset in mundo & Ecclesia, donec ad esset finis sæculi & adventus Domini ad judicium. Unde *Daniel*, postquam res ad finem usque dierum eventuras prædixisset, jubetur obsignare verba Prophetiæ עד קץ — קץ *usq; ad tempus finis. Dan.* 12. v. 4. Inter illas autem omnes Prophetias, non sunt ultimo loco habendæ, quæ agunt *de Vocatione Gentium & Judæorum Conversione*: tum quia pertinent ad hæreditatem Christi, ipsi à patre promissam. *Psal.* 2. 8. *Esa.* 49. 5, 6. *Heb.* 1. 6. *Quem constituit hæredem omnium*: tum ad maximam gloriam & consolationem N. Testamenti. *Esa.* 52. 1. *Evigila, evigila, indue robur tuum ô Zion, indue vestes ornatas, nam non perget te invadere amplius præputiatus & immundus.* Ubi Ecclesia N. T. sub nomine Zionis & Ierosolymæ urbis excitatur ad gaudendum, quod præputiati corde non sint eam intraturi, quemadmodum fuit in Templo Jerosolymitano quum adhuc sacrificaretur; sed veri filii Abrahami, Conf. *Ezech.* 44. 9. Et Propheta *Esaias*, cap. 54. 11. consolatur Ecclesiam N. T. quod Deus collocaturus sit *cum ornamento lapides ejus, & fundaturus eam Saphiris.* Cujus lapides sunt fideles omnes ex omni natione, 1 *Pet.* 2. 4. Fundamentum & Porta Christus. Conf. *Apoc.* 21. 2. 10. Nos itaq; in præsentiarum favente Deo, breviter agemus de his duobus, nimirum, *de Vocatione Gentium*, & *Conversione Judæorum.*

2. *Vocatio Gentium* est adductio à tenebris & idolatria ad Ecclesiæ veræ communionem, ut fide salvificâ donentur, convertantur, vitamque æternam per Christum Jesum consequantur.

3. Adductio hæc gentium est ad Ecclesiæ communionem: Gentes enim, durante fœdere Israelitico erant excluſi per legem, tanquam per intergerinum parietem, fuerunt absq; Christo, alienati à Republica Israelis; alieni à testamenti promissionibus non habentes spem, & sine Deo in mundo, *Eph.* 2. 12. *Deus indicavit verba sua Jacobo, statuta sua & jura Israeli, non fecit ita nulli Genti, adeoq; jura ista non noverunt.* Psal. 147. 19, 20. Et Deus declaravit se fore Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi, atque seminis ejus; de Gentibus autem nihil locutus est, nisi tandem in semine Abrahami, benedictionem etiam ipsas accepturas. Hinc nemo Gentium tunc temporis poterat ordinariè salvari, nisi sacramentum circumcisionis, quod

Abrahamo datum erat, ſuſcepiſſet: promiſſiones enim gratuitas Deus circumciſioni adjecit. *Gen.* 17. 7. *Stabilio autem fœdus meum inter me & te, ac ſemen tuum poſt te per ætates ſuas, ut fœduſſit perpetuum me eſſe tibi Deum & ſemini tuo poſt te.* Quo notatur Deum Abrahamo & ſemini ejus, quod hoc Sacramento uſum fuerit, futurum Deum, h. e. juſtificatorem, ſanctificatorem & ad ſalutem ſufficientem.

4. Terminus à quo gentium vocatio debuit fieri, eſt ignorantia, tenebræ, viæ malæ, idololatria, mors in peccato. *Act.* 14. 16. *Eph.* 5. 8. *Joh.* 5. 25. Hoc indigitatur per ligationem Satanæ. *Apoc.* 20. 2. qui alias in gentibus magnum habebat imperium, eas ſeducendo, ut colerent idola, ligna, lapides, *&c.* Hæc eſt prima reſurrectio ex morte prima. *Apoc.* 20. 6. in quam etiam gentes per Adami lapſum inciderant, & unde per tubam Evangelii revixerunt. Terminus ad quem, eſt lux, vita, juſtitia, fides in Chriſtum, hæreditas Chriſti, Eccleſiæ communio. *Eſa.* 60. 1, 2, 3. *Joh.* 5. 25. *Rom.* 6. 18. *Joh.* 10. 16.

5. Hæc vocatio Gentium convenit cum promiſſionibus & Prophetiis; quibus quidem totum V. T. refertum eſt, nos tamen ſelectiores quaſdam ex iis adducere ſtudebimus. Statim poſt lapſum primorum parentum facta eſt hæc promiſſio in Paradiſo, *Gen.* 3. 15. *Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem, & inter ſemen tuum, & inter ſemen ejus: illud conteret te quoad caput, & tu conteres illud quoad calcem.* Inter alia, in hac promiſſione continetur, quod mulier habitura eſt ſemen, *h. e.* Meſſiam, qui Diabolum privabit omni poteſtate & imperio, & in quo reliquum ſemen illum vincet. Non igitur Diabolus ſemper in gentes habebit dominium; ſed erit ſemen Sanctificatum, ſemen Abrahami, hæreditas Chriſti, quæ odio habebit Diabolum & opera ejus. benedicetur q; cum fideli Abrahamo, *Gal.* 3. 9.

6. Poſt diluvium Noachus de hoc locutus eſt. Gen. 9: 29. *Perſuadebit Deus Japheto, ut habitet in tentoriis Semi.* Quo oſtendit 1. Secuturam magnam diviſionem in ſuis poſteris; (quæ etiam facta eſt poſt confuſionem linguarum *Gen* 11: 8) adeo ut mutuæ inſtitutionis incapaces facti, notitiæ Dei & Promiſſionum avis ſuis factarum obliviſcantur, in idololatriam & omnia Scelerum genera ſe conjiciant, & ita ſint ſine Deo, extra fœdus Dei; ſed veniet tempus in quo Meſſias autor manſionis perpetuæ ex tentoriis Semi orietur, qui poſteros Semi (ſemen Abrahami) recolliget, unionem inter poſteros Semi & *Japheti* efficiet, ut habitent quaſi in uno tentorio, in una domo; & quidem in tentoriis Semi, ex quo eſt Chriſtus. Qui enim accedit ad Chriſtum, habitat in tentoriis Semi: Proquo dicitur centeri in poſteris et filiis. *Pſal.* 87: 4, 5 11. Primos *Gentium* Japetidas per evangelium & ſpiritum Dei ad communionem hereditatis Semi in fide Chriſti vocatum iri. Facta eſt etiam Abrahamo promiſſio ſeminis. *Gen.* 12: 3: *Et benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Benedicuntur autem in ipſo duobus modis 1. Ut in autore benedictionis, qui eſt Chriſtus. *Gal.* 3: 16. in quo etiam Abraham eſt benedictus 2 Ut in exemplari benedictionis *Gentium*, et ut patre filiorum promiſſionis ſicuti enim Abrahamus credidit in Meſſiam, tanquam ſuum ſemen, et hæc fides ipſi eſt imputata ad juſtitiam [illegible] ita etiam non ſolum ii qui ſunt ex circumciſione, ſed qui etiam incr-

dunt per vestigia fidei Abrahami *Rom.* 4. 12. cum ipso justificantur & benedicuntur. Hanc promissionem ex parte vide impletam *Act.* 3: 25. *Vos estis filii prophetarum & Testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ* Ad eundem dictum est *Gen.* 17: 4. 5. patrem multitudinis *Gentium* dedite. & *Gen.* 15: 5. *sic erit semen tuum* quod non tantum intelligendum est de naturali ejus semine, scil: de Judæis; sed etiam de illis, qui vestigia fidei ipsius pressuri erant, Sanctificati a Deo, propter promissionem ipsi factam & ab ipso fide ratificatam, & propter Christum filium ipsius.

7. Cum autem *V. T.* Solemniter in monte Sinai erectum fuisset, atque lex per manum Mediatoris, adstantibus myriadibus Angelorum. *Deut.* 33: 2 semini Abrahami data fuisset, gentibus à communione Izraelis exclusis, ut eam legem per suas generationes fideliter observarent: eo temporis curriculo, plurimæ auditæ sunt prophetiæ de vocatione *Gentium* et de regno Christi, quod habiturus erat inter ipsos. Primo in Mose. *Deut.* 29: 29. *Quæ occulta sunt penes Jehovam Deum nostrum sint: quæ revelata, nobis & filiis nostris usque in Seculum.* & 32: 21. *Ego quoque ad æmulationem provocabo eos per eum qui non est populus, per gentem Stultam provocabo eos,* & *v.* 43. *Cantate gentes & populus ejus, nam sanguinem servorum suorum ulciscetur* in *Davide. Psal.* 2: 8. *Postula à me & dabo gentes hæreditatem tuam. Psal.* 45: 13, *Tunc filiæ Tyri cum munere faciem tuam precabuntur, divites in populo,* & *v.* 17, *loco parentum tuorum erunt filii tui* h.e. loco patrum Christi, nimirum Abrahami, Isaaci, Jacobi, ex quibus est secundum carnem, erunt ipsi filii in Ecclesia qui per verbum ejus, tanquam semen gignentur. *Psal.* 72. 8. dicitur de Christo, cujus typus erat Rex Salomon, *quod dominaturus sit à mari uno ad alterum, & à fluvio usque ad terminos terræ, coram ipso incurvabunt se deserticolæ, & inimici ejus pulverem lingent.* Quo notatur, Christum ad omnes tribus, terram sorte datam inhabitantes, Apostolos cum Evangelio missurum, & Regnum suum Evangelii prædicatione dilataturum. Conf. *Gen.* 27. 8. Regemq; ipsum recognosent barbari, deserticolæ, incultissimi homines, contra omnes qui regno suo se opponent, ita in pulverem prosternentur, ut eum lingere videantur. & *Psal.* 86. 9. *Omnes gentes quas fecisti venient, & adorabunt coram te Domine, & gloriam dabunt nomini tuo,* Conf. *Apoc.* 15. 4. & Prophetarunt etiam de hac gentium vocatione ipsi Prophetæ; ut *Esaias* c. 2. 2, 3. *Et erit in Posterioribus diebus, constitutus erit mons domus Jehovæ in capite aliorum montium, et elatus supra colles, et confluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi & dicent, Venite & ascendemus ad montem Domini, ad domum Dei Jacobi, & docebit nos de viis suis & ambulabimus in itineribus suis.* Ubi significatur excellentia & exaltatio Ecclesiæ N. T. supra omnia regna, supra omnes populos adeo ut gentes per fidem instar fluvii ad ejus communionem accedant. Nobilissimus est etiam locus ejusdem prophetæ c. 54. 1. *Canta sterilis, quæ non pariebat; fragorem ede cantu & claram ede vocem quæ non doluit: nam plures sunt filii desolatæ, quam filii maritatæ, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui & aulæa habitaculorum tuorum ut extendantur, ne cohibeto: prolonga funes tuos & clavos tuos confirma. Nam ad dextram & sinistram orumpes, & semen tuum gentes hæreditario jure possidebit.* Quibus verbis consolatur Deus Ecclesiam N. T. quæ respon-

det

det Saræ sterili, ad tempus, quamdiu scilicet V. T. quod respondet Hagaræ conjugatæ, Gal. 4. 24. liberos generabat ad servitutem, non parienti filios libertatis, sed desolatam sterilem vitam viventi, illam gaudere debere, nam aderit tempus, quo, libertate annunciatâ, & Apostolis in orbem emissis, plures filios habitura est, quam Ecclesia V. T. quæ ad solos Judæos erat restricta; quo Ecclesiæ fines dilatabuntur tum ad dextram tum ad sinistram, genteſq; tanquam semen Abrahamo promissum, in hæreditatem ipsi dabuntur; et sic implebitur promisso Gen. 15. 5, *sic erit semen tuum.* Notandum autem hic est, hanc prophetiam habere allusionem ad verba Noachi Gen. 9. 28, *Pelliciet Jehova Japhetum, & habitabit in tentoriis Semi.* Huc referet Esa. 6. 51, *Expositus sum eis qui non interrogabant, inventus sum ab eis qui non querebant me;* dixi, ecce me, genti quæ non vocatur de nomine meo. Conf. Rom. 10. 20, Jeremias cap. 3. 17, dicit de vocatione gentium. *Tempore illo vocabunt Hierosolymam solium Jehova, & confluent eo omnes gentes ad nomen Jehovæ.*

9. Quid porrò significat templum Ezechielis, in monte alto positum, Ezeh. 40. 2? nisi amplitudinem & majestatem Ecclesiæ in toto mundo non aliter, quam si in monte alto esset posita, Ut fidiculi hic sint Judæi, qui templum expectant tertium Jerosolymis ædificandum: hic enim non agitur de templo χειροποιητῳ manu facto, quia non in Sione, sed in monte quodam alto, in medio terræ & extra tribum Izraelis erit ædificandum quid denique lapis à monte excisus, & in magnum montem factus. Dan. 2. 45, denotat? nisi Ecclesiæ Christi, à populo Judaico, qui hic per montem significatur Apop. 8. 8, interempti, in toto mundo dilatationem. Quod etiam factum, cum regnum Christi cum ultima Nabuchodnosoris statuâ conflictatum est. & Apostolos coelesti virtute indutos ad regni sui amplificationem in totum mundum emisit Matth. 28, 19.

10. De vocatione gentium loquitur Hoseas c. 2. 23, 24. 25. *Et fiet die illo, respondebo, dictum Jehovæ, coelo; & illud respondebit terræ: & terra respondebit frumento, & musto, & oleo, & illa respondebunt Izraeli. Et seminabo illam mihi in terra, & miserabor eam quæ non est miserata, & dicam non populo meo, populus meus es, & ille dicet, Deus mi.* Quam Prophetiam Spiritualiter intelligendam esse, ostendit hoc, quod dicatur frumentum responsurum jzraeli, cum illo consequenti effecto, ut ea planterur in terra. Et Scriptura meminit coeli alicujus abolendi in Ecclesia, & novi faciundi, Esa. 65. vers. 7. Apoc. 21. 1, Joel. c. 3, 1. *Et erit post illa effundam Spiritum meum in omnem carnem* &c. & v. 5. *Nam in monte Sion & Hierosolymis erit effugium*; quemadmodum dixit Jehova: & in superstitibus *quos Jehova vocat.* Ad quod alludit Petrus Act. 2. 29. *Vobis enim est promissio & filiis vestris, & omnibus, qui sunt longe quotquot ADVOCAVERIT Dominus Deus noster.* Quis posset omnes recensere Prophetias, quæ hoc Promittunt? Neq; est necesse; quum & ipsi Judæi fateantur ad Messiam omnes gentes accessuras.

11. Hæc

11. Hæc vocatio debebat fieri per nuncios Christi, qui annunciarent eis pacem, libertatem, Salutem & regnum Dei. Sic enim per Esaiam erat prædictum Esa. 52, 7. *Quam pulchri & decori sunt pedes super istos montes evangelizantium pacem, Pronunciantium bonum, Pronunciantium Salutem dicentis Tzijoni regnat Deus tuus.* Conf. Rom. 10, 15. Elegit autem Christus ab initio duodecem, qui hoc executioni mandarent, quos & ἀποστόλους *missos* nominavit, quod nomen Judæis erat familiare, שלוח vide Matth. 4. 18, 21. 10. 1 5, Luc. 6. 13.

12. Quia autem decora debuit esse ipsorum in montibus ambulatio & annunciatio, hinc etiam virtute ex alto indui debuerunt juxta promissionem Christi. Luc. 24, 49 Act. 4 5, 8. Nam & Sanctum Sanctorum Dan. 7. 24, & Christum oportebat publice inungi, & Christum ac Dominum coram omnibus manifestari. Act. 2. 39, quæ inunctio in Apostolis facta est in die Pentecostes, cum ignææ linguæ, h.e. flammæ & quasi faces in ipsis visæ sunt, ut rectè possent loqui de mysteriis Dei, ut essent testes idonei mortis & resurrectionis Christi, & per eos in mundo verbum Dei extaret uberrimo modo, ut aliquandò posset terra cognitione Dei sic impleri, quemadmodum mare aquis plenum est. Esa. 11, 9.

13 Initium verò coepit hæc gentium vocatio post Christi ascensionem in coelum iuxta Prophetiam Psal. 68, 19. *Ascendisti in altum captivam duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus; & etiam rebelles ut habitent tentorium Jah Dei.* Vivente autem adhuc Christo, Apostoli non poterant mitti ad gentes, unde factum, quod cum duodecim Apostolos, in terram Izraelis emisisset, ipsis mandavit ne in viam gentium abirent; sed ad oves perditas domus Izraelis Matth. 10. 5, 6. Ratio autem hujus videtur esse, quod emissio eorum futura ad gentes pendebat ab effusione S. Sancti, quæ ante mortem & glorificationem Christi non poterat fieri, juxta loca iam citata Psal. 68, 19. Dan. 7, 28. Ubi Daniel hæc sex inseparabiliter connectit 1. Cohibitionem defectionis 2. Obsignationem peccati, 3 Expiationem iniquitatis. 4. Adductionem justitiæ æternæ. 5. Obsignationem visionum ac prophetiarum. 6. Unctionem Sancti Sanctorum. Et Satisfactione non præstita, nondum manifestata erat via gentibus ad Sacrarium coeleste. *Hebr. 9.* 8. Existente autem lytro, rupto velo Christi carnis, aditus datus est etiam gentibus ad foedus Dei, ad thronum gratiæ *Heb.* 10. 20, *ipse enim est pax vestra, qui utraq; fecit unum, & intergerini parietis septum solvit inimiciis, id est lege præceptorum, quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis, ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem faciens pacem, & utroſq; in uno corpore conciliaret Deo per crucem, peremptis inimiciciis per eam; Et veniens evangelizavit pacem vobis, tum qui longè, tum qui propè eratis, quoniam utrique per ipsum habemus aditum ad patrem. Eph.* 2. 14, 15. 16. 17.

14. Non fluxit hæc vocatio à dignitate, aut ab aliqua prævia dispositione gentium; erant enim in tenebris, in viis malis, in morte, ut supra vidimus; sed ex mera Dei gratia, *Rom. 9.* 23, 24. *Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa*

misc-

miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam? Quos etiam vocavit nos, non ſolum ex Judæis; verum etiam ex gentibus, & 11. 22. Vide igitur benignitatem ac præciſam ſaveritatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, præciſam ſaveritatem: in te verò benignitatem, ſi permanſeris in benignitate. 2. Tim 1: 9 Deus ſervavit nos & vocavit vocatione ſancta, non ex operibus noſtris; ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæculorum.

15. Quia autem pater Filio ſuo, teſtamento diſpoſuit regnum *Luc.* 22. 19, *ut ſi ponat anima ejus ſatisfactionem, videbit ſemen,* quod *prolonget dies, & cujus manu voluntas Domini proficiat Eſa.* 53. 10. Ut Filius ſe ſtitit promptum ad faciendam voluntatem Dei, & a patre ſalutem populi ſibi è mundo dati reſtipulans; *Ecce adſum voluntatem tuam cupio facere Pſal.* 40. 8. 9, *et ſuo ſanguine Eccleſiam redemerit Act.* 20. 28, hinc Chriſtus hanc vocationem ſuâ ſatisfactione meritus eſt, qui carnem ſuam dedit pro mundi vita *Joh.* 6. 15, *h. e.* non tantum pro Judæis ſed etiam gentibus et intergerini parietis ſeptum (*h. e.* leges cerimoniales) quod gentes a Judæis ſecludebat, per ſuum ſanguinem ſolvit, & utroſque per crucem reconciliavit *Eph.* 2. 13. 14, 15. 16. ideò etiam Chriſtus gloriatur, quòd funes ipſi ceciderunt in amoenis, etiam hæreditas ſpecioſa obvenit ipſi *Pſal.* 16. 6.

16. Periodus hujus vocationis debuit inchoari a Judæa: ſic enim prædictum erat *Pſal.* 110, 2. *Virgam fortitudinis tuæ mittet Dominus ex Sijon, h. e.* verbum evangelij per Apoſtolos tuos in toto mundo curabit prædicari cum efficacia. *Eſa.* 2. 3. *Nam e Tzijone prodibit doctrina, & verbum Jehovæ Jeruſchalaimis. Eſa.* 60. 2, *gloria Jehovæ ſuper te conſpicua erit, ut accedant gentes ad lucem tuam, & Reges ad ſplendorem exortum tibi.* Hoc fuit ſignificatum per templum Ezechielis, cujus portæ facies erat verſus orientem Ezech 40. 6. & quod aquæ manaverint à via quæ ſpectat orientem *Cap.* 47. 2. Profectus enim regni coelorum cum profectu ſapientiæ & cognitionis incepit ab ortu ad occaſum, cum Apoſtoli Hieroſolymis emiſſi, ad Jappetidas occidentem verſus venerint, & in alias mundi plagas, ſicque totum mundum Evangelii ſono impleverint. Hoc etiam denotatum fuit per ſanctum ſanctorum cujus facies erat verſus orientem.

17. Facta autem eſt hæc vocatio, inſperatò, inexpectatò & inſolito modo. *Rom* 10. 20. & 15. 21. *Eſa.* 65. 1, quum vallis omnis elevata et omnis mons & collis humiliatus fuit, *h. e.* quum ſub uno imperio ὁικυμένη facta eſt inſtar planiciei, magnis & parvis exæquatis, quod etiam factum Sub quarto imperio. Sub illo autem imperio debebat emergere regnum Chriſti, ut ex *Cap.* 2 Danielis atque etiam undecimo, & ex Zachariæ viſione apparet. Daniel dicit *Cap.* 2. *in diebus Regum illorum excitabit Deus coelorum Regnum, quod in ſæculum non corrumpetur v.* 44. Ergò, antequam finirentur quatuor illa regna & periodum ſuam implerent, regnum Chriſti debuit manifeſtari & cum illa ſtatua in ultima ejus parte conſti-

conflictari. Daniel autem *Cap.* 9. 26, dicit, poſt ſeptimanas ſexaginta duas ſupra ſeptem, & tempora quædam anguſtiæ, Chriſtum exciſum iri, & eum deinde regnaturum.

18. Fuerunt gentes vocandæ ſtudioſius, occaſione ingratitudinis Judaici populi *Act.* 13. 45. ut per offenſam eorum ſalus obtingeret gentibus *Rom.* 11. 11. Qualia & quot beneficii inſignia Deus erga hunc populum declaravit, plura ea & majora ſunt quam deſcribi aut verbis efferri queant. Deus hunc populum, rejectis aliis, in foedus ſuum aſſumpſit, verbum ſuum illi dedit, quod majus. Meſſiam promiſſum ipſi exhibuit, qui Evangelium ex ſinu patris detulit, voluntatem Dei de ſalute hominum clarè expoſuit, omnes feſſos, & ſub peccatorum onere gementes ad ſe vocavit, ut in ipſum crederent & ſic ſalutem animæ conſequerentur; ſed ingrati filii rupem ſalutis indignè tractarunt, Deut 32. 15. lapidem anguli reprobarunt, vincula Chriſti ruperunt *Pſal.* 2. 3. Apoſtolos Chriſti perſecuti ſunt, bonumque Dei verbum pacem & ſalutem annuncians, rejecerunt. Unde etiam Deus dedit illis ſpiritum ſoporis; occulos ut non cernant & aures ut non audiant uſque ad hodiernum diem. *Rom.* 11. 8. expoſituſque eſt eis qui non interrogabant, inventus eſt ab eis, qui non quærebant ipſum. *Eſa* 65. 1. Idque factum ad irritationem Judæorum, *Deut* 32. 21. *Ego ad æmulationem commovebo eos per eum qui non eſt populus, per gentem ſtultam provocabo eos* Conf: *Rom.* 10. 16. *q. d.* Vos me ſpreto & abjecto, jus meum & honorem ad idola tranſtuliſtis: ego, ut hanc injuriam ulciſcar, viciſſim ſubſtituam in locum veſtrum gentes, & quod hactenus vobis dedi, illis tranſcribam.

19. Quanquam autem rupto Chriſti carnis velo intergerinus paries inter Judæos & gentiles ſolutus eſt *Eph.* 2: 14, viáque manifeſtata fuit etiam gentibus ad ſacrarium coeleſte *Hebr.* 9. 8. tamen ut libertas Evangelii, remoto omni velo etiam ab oculis gentium plenius confirmaretur, Hieroſolymaq; coeleſtis, cujus omnes filii ſunt liberi, clariùs dignoſceretur, templum ſecundum unà cum tribus paſtoribus, *h. e.* Judicibus, Sacerdotibus, Prophetis ſive Doctoribus deſtrui juſſit ſine ulla ſpe reædificationis, & terram percuſſit anathemate *Mich.* 4. 6. ut ex illo tempore domum manu factam non habeat Deus, & mactans taurum ſcilicet ſacrificii cauſa ſit par homicidæ, Sacrificans agnum decollanti canem offerens munus libanti ſanguinem porci, thus ADOLENS benedicenti idolum. *Eſa.* 66. 1, 3. Hanc ἀποστασίαν & ſupplicium Judæorum explicavit Moſes *Deut.* 29. 20, 21. *Non volet Jehova condonare illi; ſed tunc fumabit ira ipſius & zelus ejus in virum illum & ſeparabit illum ab omnibus tribubus Iſraelis.* *Cap.* 31. 29. *Novi fore poſt mortem meam, ut omninò corrumpatis & recedatis ab hac via quam præſtitui vobis: unde obveniet vobis hoc malum extremis temporibus, quum feceritis quod malum videtur in oculis Jehovæ.* & *Cap.* 32. 15, 16. 20. *Saginatus Jeſchurum recalcitravit, Saginatus es, obeſatus es, adipem obduxiſti: deſeruit enim Deum qui magnificaverat*

ipsum, & vilipendit rupem salutis suæ. Quod quum vidit Jehova, sprevit eos; pra indignatione a filiis suis & filiabus suis: Et dixit, abscondam faciem meam ab illis, videam quis erit finis illorum. &c.

20. Sic porrò gentes erant vocandæ, ut nullum ipsis debuit imponi jugum legis Mosaicæ. 1. Quia lex præceptorum in placitis. *Eph.* 2. 15. continens δικαιώματα λατρείας, *h. e.* postulata justa cultus *Hebr.* 9. 1. & δικαιώματα τῆς σαρκὸς justificationes carnis *Hebr.* 9. 10. quæ alias lex cerimonialis vocari solet, ad solos Judæos, uti & templum, pertinebat. Unde sæpè in Pentateucho dicitur לדרותם in generationes vestras, *h. e.* quamdiu stabit vestra Respublica, vester cultus, vestrum templum. 2. Quia lex cerimonialis erat cirographum adversus Judæos, quo testabantur peccata sua nondum esse per sacrificia ista expiata; sed in fine sæculi per nobilius sacrificium expiandum. *Hebr.* 99. & 10. 3, 18. Cum autem Christus nobiliori sacrificio apparens, rituum cirographum, morte sua cruci affixerit. Colos. 2 14. justitiam æternam adduxerit *Dan.* 7. 24. & per sanguinem crucis omnia sibi reconciliaverit, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis sunt Colos. 2. 20. iniurioſum fuisset gentes ad observationem legis Mosaicæ cogere. 3. Quia Christus missus est ad prædicandam libertatem *Esa.* 61. 1. In libertate igitur Christiana gentibus perstandum fuit, & non implicandum pristinæ servitutis iugo. *Gal.* 5. 1. 4. Quia gentes secundum promissionem non fuerunt filii Hagaræ, sed Saræ *Gal.* 4. 31. *Nempe Fratres non sumus filii Ancillæ; sed liberæ.* Unde clarè cognoscitur 1. per duas matres intellguntur duplicis generis patres, propter similitudinem conjugii cum Deo *Esa.* 54. 6. Tales fuerunt 1. Abraham & alii ante Mosen, 2. Moses & alii cum ipso: Scriptura enim sæpè multitudinem exprimit symbolicè sub figura fœminæ, quemadmodum dicitur filia Hierusalem, filia Babel, pro filii Hierusalem, filii Babel. Seu intelliguntur duo testamenta *Gal.* 4. 24, 11. Matres statue differunt, Sara libera, Hagar autem serva: unde etiam filii sunt dupplicis statu, servi & liberi. Abrahamo enim, & aliis qui fuerunt ante Mosen, nulla imposita fuit servitus, nullum jugum, nihil imperatum de purificationibus & ablutionibus legalibus; sed sæculo hoc vixerunt non aliter, quam si peccatum & reatus non amplius esset in mundo. Mosi autem & cæteris qui ad montem Sinai steterunt, onerosa sunt imposita præcepta, de quibus dicit Petrus *Act.* 15. 10. *quod neq; patres nostri, neque nos portare valuimus.* 3. Gentes sunt filii posterioris matris, seu Abrahami, dictum enim est ad Abrahamum, *patrem multitudinis gentium do te,* 4. Gentes futuras fuisse similes statu & conditione illius matris, quæ prior quidem fuit, sed ad tempus non peperit, verum desolata fuit. Sicuti igitur Abrahamo nullum legis impositum fuit jugum, tanquam cirographum; sic gentibus tanquam filiis promissionis, legentibus vestigia ipsius, non debuit imponi, sed liberi in unionem novæ Hierosolymæ erant vocandi, ut sic mater eorum cantaret & præ lætitia fragorem faceret. *Esa,* 54. 1, *Gal,* 4. 27.

21. Spiri-

21. Spiritui Sancto quidem placuit, nulum gentibus imponendum esse jugum *Act.* 15. 28. Synodo tamen Hierosolymitanæ visum est propter scandala amovenda illis præcipere. 1. Ut abstinerent a suffocato & sanguine *Act.* 15. Cum enim Judæi viderent gentes ad Christum conversas nolle observare leges Mosaicas, quæ omni Sabbatho in synagogis legebantur; hincque scandalum acciperent: Apostoli operæ pretium duxerunt, ut ipsis legem hanc ad tempus imponerent. Quæ cum non alio fine lata sit, quam ut infirmitati credentium ex Judæis consuleretur, atque honorificentius synagoga sepe liretur. Aliás hodie locum hæc lex non habet, cum omnia munda mundis *Tit.* 1. 15. *Et novimus atque persvasum habemus nihil esse impurum per se, sed ei, qui reputat aliquid esse impurum, id ei esse: non enim est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium per S. Sanctum Rom.* 14. 14. 17. 2. Ut vitarent idolotytha, scilicet ne contraherent societatem & communionem cum iis, qui idola colebant & omnem fornicationem, tum illam, quæ inter Judæos vigebat, tum illam, quæ à gentibus promiscuè exercebatur, diligenter vitarent.

22. Licet autem Evangelii sonus jam in totum orbem exiverit *Rom.* 10. 18. magnaque multitudo gentium Ecclesiæ unionem intraverit, nondum tamen illa plenitudo gentium intravit, Paulus ad *Rom.* 11. 15. loquitur: aliás conversio Judæorum generalis facta fuisset. Regnum etiam sic datum est Christo in gentibus, ut tandem totus mundus audiat Evangelium *Matt.* 24, 14. Omnes gentes veniant, incurvent se coram Domino, & honorem nomini ejus habeant *Psal.* 86. 9. sicque fiant omnia regna ipsius *Apoc.* 11, 15. quod ultimis temporibus expectandum est.

DE

DE

DE CONVERSIONE JUDÆORUM.

1. UT Apostolus omnem gentium fastum retunderet, aut saltem præveniret, ne aliquo pacto adversus naturales ramos, *h. e.* Judæos gloriarentur, quòd rejectis illis, in fœdus Dei assumpti sint; gentibus prædicit suam ex fœdere Dei excisionem, si contempto Evangelio, evadant infideles; Judæorum è contra in fœdus reassumptionem; *potens enim est Deus rursum eos inserere*, Rom 11. 22, 23. Quia hæc πλήρωσις ex parte evenit Israeli, donec plenitudo gentium intraverit, *v.* 25. Quam futuram Judæorum conversionem, quia Paulus dicit futuram immediatè post plenum gentium in Ecclesiam introitum, ideo de hac, nos quoque hìc in præsentiarum agemus.

2. Quæritur ergo. An locus ille Apostoli, *Rom.* 11. 25. *Nolim enim vos ignorare fratres mysterium hoc, (ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes) obdurationem hanc ex parte Israeli evenisse, donec plenitudo gentium intraverit*, evincat, sub finem mundi maximâ copiâ Judæos ad Christum convertendos? *Aff.* 1. Quia disertè sic sonant Apostoli dicta, postquam plenitudo gentium intraverit, πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται *totus Israel servabitur.* Quòd quidam dicunt Izraelem hìc significare allegoricè totam Ecclesiam exsolis gentibus collectam, cui aliqui fortè Judæi sese adjungent, ratione caret; sic enim Apostolus nullum revelasset mysterium, si quidem quotidie manifestum erat gentes maximo numero & aliquos etiam Judæos ad fidem converti. De quo inferius. 2. Quia Apostolus voluit Judæos consolatione erigere; quòd Deus illos non abjecit in totum; sed recordabitur fœderis sui cum patribus initi, ipsosque ad se reducet, quæ consolatio nulla fuisset, si non futuram eorum conversionem prædixisset. 3. Quia hoc futurum probat Paulus vaticiniis Propheticis *v.* 26. *Veniet ex Sione ille liberator, & avertet impietates à Jacobo.* Conf. *Esa* 59. 20. *v.* 27. *Et hoc est illis à me fœdus quum abstulero peccata ipsorum.* Conf. *Esa.* 27. 9. 4. Quia fœdus cum gente illa in patribus initum hanc conversionem probat. *Levit.* 26. 44, 45. *Atq; etiam nihilominus, ipsis agentibus in terra inimicorum ipsorum, non rejeci eos, neq; fastidio eos, ut consumam eos, ut irritum faciam fœdus meum, quod cum ipsis pepigi* (*h. e.* promissionem

nem, quam ipsis addixi) *quod ego Jehova Deus ipsorum sim, & recordabor ipsis fœdus priorum, quos eduxi ex Ægypto in oculis gentium; ut fierem ipsis Deus, Ego Jehovah. q. d.* Quemadmodum olim ex Ægypto eduxi hunc populum, ut essent populus meus, ita etiam in ultimis diebus eos repetam tanquam meos, & me geram pro Deo ipsorum. Hinc *Rom.* 11. 16. *Si radix sancta, & rami, &c.* & *v.* 28. *Secundum electionem dilecti propter patres.* Hujus fœderis vestigia quædam circa hanc gentem observanda etiam hodie Deus ostendit, quæ sunt certissima signa, gratiæ Divinæ aliquando ipsi exhibendæ. *Primò.* hoc manifestum est ex eo, quod cum omnes aliæ nationes, Judæis coævæ, aut penitus deletæ, aut alienis permixtæ sunt, soli Judæi in tam variis casibus, captivitate & dispersione perstant, & servantur adhuc conjugia cum aliis gentibus non permiscentes, sed civili statu & religione ab omnibus separatam vitam viventes. *Secundo.* Quod vel in hoc tristissimo exilio, mirabili providentia Deus hanc Gentem conservet, & inter tot persecutionum æstus ac regnorum concussiones, in immensum multiplicet. Stupendus enim illorum numerus in Asia & Affrica, sub Imperio Turcico, Persico, Regibus Affricanis: Ut hic taceam, Amstelodamum celeberrimam Hollandiæ Metropolin, in qua ad minimum viginti mille Judæorum, una cum tribus magnis Synagogis reperiuntur. *Tertiò.* Ex aliis quibusdam in hac gente admiratione dignis: Quod Deus apud illos conservet tabulas fœderis, sacram scilicet Scripturam, cujus sunt acerrimi custodes ac veluti capsarii. Quod genealogiis familiarum perditis, gentis tamen genealogia ab orbe condito usque ad hunc diem sarta tecta manserit, omnibus verò notissima sit, vel saltem ex peculiari quadam vultus formâ. Quod tanto cum zelo, licet sine intelligentia, ipsorum Doctores, legem Mosis in synagogis recitent; ejus integritatem ab omni corruptione custodiant. Quod omnem idololatriam aversentur; Quod Messiæ memoriam in omni casu in ore habeant, ejusq; adventum magno cum cordis desiderio expectent.

3. Futura ergò est generalis hæc Judæorum conversio, de qua Moses & Prophetæ locuti sunt, amovebitur velum a corde illorum 2 *Cor.* 2. 16. ut omnes retectâ facie gloriam Christi, Regis Izrael intueri possint. Non tamen ita totus Izrael converteretur, quin nullus secundum carnem sit excludendus: sicut nec plenitudo gentium singula gentilium individua includit; sed hoc sic est intelligendum, quod magna multitudo seu ingens numerus Judæorum, (uti & plenitudo electorum ex gentibus) ad Messiam sit accessurus. Sic D. Pareus ad locum Pauli *Rom* 11. 15.

4. Neque hic sunt audiendi, qui textum Pauli non intelligunt de generali aliqua & futura Judæorum conversione; sed de conversione spiritualis Izrael, hoc est plenitudinis gentilium & reliquiarum ex Judæis, qui partim per Apostolos tunc conversi, partim sub-inde usque ad finem mundi, quamvis pauci, con-

vertendi. 1. Quia analogia contextûs contrarium probat, ubi est πᾶς Ἰσραὴλ totus Israel, oppositè ad gentiles. jam verò πᾶς usu scripturæ nunquam notat particularitatem seu paucitatem & quidem generalitati oppositam. 2. Quia Apostoli scopus, non est probare Judæorum conversionem per Apostolos inchoatam qui quosdam a communi rejectionis massa separatos ad Christum adduxerunt *Act.* 2, 41. secus enim nullum revelasset mysterium, quandoquidem manifestum erat, ferè quotidie Judæos, ad Christianam fidem converti; sed vult indigitare conversionem futuram, nondum tunc temporis inchoatam, nedum magnam partem consummatam: Ant. prob. ex verbis Apostoli v 23, 24. Sed *& illi, si non permanserint in infidelitate, inserentur; potens enim est Deus rursus eos inserere, etenim si tu ex naturali excisus es Oleastro; & praeter naturam insitus es in veram oleam, quanto magis ii qui naturales sunt inserentur propria olea?* 2. Quia conversio Judæorum, de qua Apostolus, successura est rejectioni eorum, v. 23. 25. Atqui messis illa conversionis per Christum & Apostolos peracta, præcessit ordine naturæ & temporis, *Matth.* 10. 5, 6. *Act.* 13. 46. *Rom.* 11. 4, 7. Rejectio enim illa, de qua hic agit Paulus, jam rata facta est jure, facto & promulgatione. 3. Quia Izraël spiritualis, in toto hoc capite, uti & *cap.* 9, & 10. directè opponitur Izraëli secundum carnem obdurato & rejecto. 4. Quia prophetiæ huic repugnant sententiæ *Deut* 32, 43. *Cantate gentes*, quæ estis *populus ejus: quia sanguinem servorum suorum vindicat, & ultionem vendidit hostibus suis, & expiavit terram suam, populum suum. Hos.* 3, 5. *Postea convertentur filii Israel, & quærent Jehovam Deum suum, & Davidem Regem suum; & trepidabunt ad Jehovam & ad bonum ejus in fine dierum, h. e.* convertentur ad fidem Dei & Christi, & ad regnum ejus, quod abnegaverant, & gratiam ejus amplexabuntur. *Ezech.* 36, 24. *Recipiens enim vos ex ipsis gentibus, congregabo vos ex omnibus regionibus; ac reducam vos in terram vestram.* Et *cap.* 37. 19.

5. Quæritur de decem tribubus. An illæ sint convertendæ in generali illa Judæorum conversione? *Resp.* Si decem tribus considerentur formaliter, ut fuerunt tempore Jeroboami Regis, negatur. Nam homines decem tribuum in tres classes distribui possunt 1. Eorum, qui per varia bella a Jeroboami tempore, usque ad deportationem Assyriacam, in alias terras migrarunt, partim vicinas gentes, partim in Judæam: quorum illi aut Judaicis synagogis in terra gentilium erectis, se adjunxerunt, & sic cum populo Judaico coaluerunt; aut cum gentilibus permixti sunt, atque gentiles evaserunt: hi Ecclesiæ & populo Judaico incorporati sunt, partim ante captivitatem Babylonicam 2. *Chron.* 11. 13, 14. *Luc.* 2, 36. *Phil.* 3, 5. partim post reditum ex captivitate; ex quibus erat tribus Benjaminis *Esd.* 1. 5 & 4. 1. 2. Eorum, qui per Schalmanasarem Assyriæ Regem, in Assyriam deportati sunt. 2. Reg. 17, 6. qui omnes partim in gentiles degenerarunt, partim Judaicis synagogis adhæserunt,

Jac. 1, 1. ac cum illis coaluerunt, partim datâ libertate per Cyrum, cum Judæis captivis ex Babylonia in Judæam redierunt *Esa.* 1, 4. 3. Eorum, qui tempore deportationis Assyriacæ, in terra relicti sunt, & cum novis colonis, per Regem Assyriæ eo deductis coaluerunt 2 Reg. 17, 24. Hâc distributione posita, constat posteros 10 tribuum, si qui convertendi sunt non converti conversione generali, ut Judæos sed partim ut hos aut illos gentiles, in quos degenerarunt, partim ut Judæos, quibus adhæserunt, aut ut Samaritanos.

6. Author tanti beneficii erga Judæos erit Deus. *Rom.* 11, 23. *Potens enim est Deus rursum eos inserere.* Ille enim solus poterit Spiritum soporis in quo hodie iacent, repellere, cor eorum circumcidere, oculos illuminare, aures aperire, ut convertantur & sanitas eis obveniat. Hoc autem fiet ex misericordia Dei *Rom.* 11, 32. in semine illo benedicto, Christo Redemptore, GOEL E, Judæorum propinquo secundum carnem, *Rom.* 9, 5. Cui nomen vindicis tribuit Apostolus *Rom.* 11, 26. ex *Esa.* 59, 21. & Ezechiel Pastoris. *Cap.* 37, 24. *Et servus meus David Rex erit super ipsos, ac pastor unicus erit omnibus ipsis, ut in Judiciis meis ambulent, ut Statuta mea observent faientes ea.*

7. Conversio hæc futura est ad Deum & ad Christum redemptorem, quem etiam quotidie expectant, & cui dati sunt in hæreditatem, ad rupem Salutis, quam indignè tractarunt *Deut.* 32, 15. ad lapidem in quo impegerunt *Esa.* 28, 16. ad caput anguli, quod reprobarunt *Psal.* 11. 8, 22. ad Evangelium, quod reiecerunt, illo se indignos iudicantes, ut colligere est ex *Rom.* 11, 28. *Itaque quod ad Evangelium sunt inimici propter vos: quod ad electionem autem, dilecti propter patres.* & 10: 16. 19. & 1: 16. *Non me pudet Evangelii Christi, potentia siquidem est Dei ad salutem cuivis credenti, Judæo primùm, tùm etiam Græco* Illud enim Christus & Apostoli ejus ipsis prædicarunt, demonstrantes, promissum Messiam iam adveniſſe, excisum esse, resurrexisse ac in coelum ascendisse, in quem si crederent, salutem animæ consequerentur. Ejus praxin ipsis imposuerunt, nullâ admixtione Judaismi commissâ. *Gal.* 2. 4, 5. & 4, 9. *Coloss.* 2. 12, 13. 14. 15, 16. 17.

8. Frivolum ergò & inane est, quod ipsimet & alii statuunt Judæos tempore conversionis eorum, in terram Canahan redituros, politiam Mosaicam & Hierosolymam restituros, ac insignia quædam Judaismi retenturos, saltem præcepta illa, quæ vocant Noachi. Quasi extra terram Canahan, (quæ erat tùm temporis typus coelestis Canahan) non possint à Deo converti, & Christianam religionem exercere? Quasi Politia Mosaica, quæ cærimoniali cultui ex magna parte erat innexa possit restitui? Et cùm terra Anathemate percussa est, *Malac.* 4. *v. ult.* domus ipsis relictæ sunt desertæ, *Matth.* 23, 38. Templum tertium Ezechielis, extra tribum Izraelis ædificandum est, *Ezech.* 40, 4, 5. Cultusq; Judaicus sic

abrogatus

abrogatus est, ut postliminio revocari non possit aut debeat. *Gal.* 3. 2. nullum eorum expectandum est. Quod hic ad ravim usque adterunt Prophetias, quæ loquuntur de reductione Judæorum in terram Izraelis, hoc non carnaliter; sed mysticè, spiritualiter intelligendum est, scilicet, de Ecclesia Novi Testamenti, quæ etiam appellatur Hierosolyma Cœlestis nova, *Apoc.* 21, 2. & 3. 12. Nam quicunque in Christum credunt, censentur filii Izraelis *Gal.* 6. 16. *Esa.* 27. 6. *Psal.* 87. 4, 5, 6. Filii Abrahami, *Gal.* 3. 7. qui est Pater omnium nostrûm, *Rom.* 4. 16.

9. Quoniam Scriptura promittit Reges Ecclesiæ N. T, fore nutritios & curatores, Reginas curatrices. *Esa.* 49. 23. Imò promittit, Reges Gentium in civitatem Dei illaturos gloriam suam, *Apoc.* 21. Quod faciunt, quandò omnem operam impendunt ad Ecclesiæ defensionem & incrementum. Hinc Regum Christianorum, Principum & Magistratuum Ecclesiæ nutritiorum interest hanc Judæorum Conversionem promovere, tum Doctorum Theologiæ, qui insistentes vestigiis Apostolorum ex vi vocationis suæ ut omnium errantium, sic imprimis Judæorum salutem procurent, in omnem occasionem intenti, si aliquandò tempore accepto Deus det ipsis etiam resipiscentiam.

10. Non sunt tamen hinc excludenda instrumenta & media conversionis Judæorum, quæ sunt communia, Ecclesiastica, Politica. Communia sunt. 1. Preces, ut tam publicè quàm privatim Deum ferventissimis precibus oremus, pro salute Izraelitarum. Sic fecit Paulus, *Rom.* 10. 1. 2. Adhortatio ad conversionem & Christianam fidem, *Jac.* 5. 19, 20. 3. Convictio ex Scripturis, ostendendo illis jam Christum, Messiam patribus promissum natum esse, ab ipsis crucifixum esse, sed resurrexisse, sicut ipsemet prædixerat, & ad dextram Dei Patris sedisse, unde venturus est ad judicandum omnes hostes suos refractarios, sic etiam ipsos ni convertantur & in ipsum credant. Sic fecit Petrus, *Act.* 2. & Apollos. *Act.* 18. 26, 28. 4. Conversatio pia & digna fide Christi. 5. Mutua nostra consensio, circa principia fidei, Scripturæ auctoritatem, perfectionem & authenticam editionem: hæc enim non parùm Scandalizant Judæos, & canonis Christiani auctoritatem apud ipsos elevant. 6. Benignitas, clementia, beneficentia adversus miseram Gentem. Verùm quantopere hic Christiani deficiant, satis notum est, cujus nos aliquandò rationem reddituri. Ecclesiastica sunt. 1. Scripturæ genuina explicatio & vindicatio ab ipsorum glossis. 2. Perfidiæ & desperati eorum status demonstratio, quod a Deo rebellarunt, lapidem anguli reprobarunt, Evangelio Christi se indignos judicarunt, ideó etiam Evangelium ab ipsis ablatum, & datum est Gentibus, eorum autem cordibus usque ad hodiernum diem velamen impositum est, quod non nisi in Christo tolletur, 2 *Cor.* 3. 14, 15. Politica media sunt. 1. Ut procurentur occasiones agendi cum Judæis. 2. Ut foveantur in Scholis & alibi studia linguarum Orientalium, & Pro-

ſeſſores conſtituantur non tantùm linguarum & antiquitatum, ſed & Controverſiarum Judaicarum. 3. Ut Judæi adfidem inclinantes, aut planè converſi ab injuriis, vexationibus & inſidiis contribulium ſuorum egregiè defendantur.

11. Hìc autem tenebras luci offundunt Judæi & Pontificii. Illi, ut probent Meſſiam nondum veniſſe, dicunt, ex loco *Malach. 4. 5. Ecce ego miſſurus ſum vobis Elijam Prophetam, antequam veniat dies Jehova maximus & tremendus*, Elijam Theſbitem venturum ante adventum Meſſiæ, ad Judæos convertendos, quæſtiones perplexas circa articulos fidei enodandas, animos præparandos, omniaque reſtituenda. Hinc eſt, quod omnia dubia differant ad adventum Elijæ: dicunt enim, cum Elijas venerit, ipſe hæc clarè explicabit, nos edocebit. In circumciſione etiam ſellam vacuam collocant, quam Sellam pro Elija eſſe dicunt, quem eorum circumciſioni ſemper adfuturum credunt. Vide *Synag: Buxt: Jud. 2. 11.* O miſeram coecitatem! Cum jam Elijas ante Meſſiam natum venerit ſcilicet Johannes Baptiſta in ſpiritu Elijæ, *Matth. 11:10. Marc. 9. 13.* nec ullus alius unquàm expectandus eſt. Hi, ut probent nondùm adveniſſe Antichriſtum, ex eodem loco & *Apoc. 11.* per duos teſtes Enochum & Elijam intelligunt, finguntq; Elijam Theſbitem & Enochum in Paradiſum terreſtrem tranſlatos, indè ſub finem mundi Hieroſolymam reverſuros ad Judæos convertendos & in Chriſtiana Eccleſia omnia reformanda, Antichriſto ſe oppoſituros, & ab eodem occidendos; ſed quarto die reſurrecturos, & plures ex Judæis ac Gentibus converſuros. Verùm hæc ſententia multis modis vacillat. 1. Quia conſtans eſt plurimorum Reformatorum & Proteſtantium fides, etiam Pontificiorum ante Lutherum, jam Antichriſtum illum magnum à Paulo & Johanne Apoſtolo deſcriptum, in mundo eſſe, in templo Dei ſedere, nec alium venturum eſſe, cujus communio ideò deſeri oportuit. 2. Quia gratis fingitur Enochum & Elijam eſſe in Paradiſo, cùm nec Paradiſus hodie extet *Joel. C 2: 3.* & utrique in coelum vivi ſunt aſſumpti. *Gen. 5. 24. 2. Reg. 2: 11.* 3. Quia *Apoc. 11. 7.* per duos teſtes, teſtificationibus ſuis abſolutis, à beſtiâ occiſos, non intelliguntur Enochus & Elijas; ſed V. & N. Teſtamentum, ſeu Moſes cum choro prophetarum & Chriſtus cum choro Apoſtolorum: qui rectè dicuntur ex Zach. 4. *duæ ollæ vel duo filii olei, h. e.* duo ſpiritum Dei habentes, qui ſtant coràm Domino totius terræ qui Deo & Eccleſiæ miniſtrant per ſuam teſtificationem ad converſionem animarum & propagationem regni ipſius. Prophetarunt hi teſtes *dies mille ducentos & ſexaginta v.* 3. hoc eſt, annos 1260. per dies enim hìc annos debere intelligi, res gerenda hoc ſpacio temporis demonſtrat. Et idem eſt hoc tempus cum 42 menſibus ſi in ſingulis menſibus computemus 30 dies, ut olim fiebat & ex hiſtoria diluvii patet. Prophetabant autem, cum ad conſcientiam hominum revelarunt voluntatem Dei ſermonibus a S.

Sancto

sancto doctis & inspiratis. *Amicti Saccis*, Quia hoc faciebant moesti, lugentes quasi & absque consolatione eorum, qui ipsis restiterunt. *Cum hi duo testes absolvissent testificationem suam, bestia ascendens ex abysso fecit bellum cum eis & illos occidit v. 7: h. e.* cum ad plenum in mundo fuisset demonstrata eorum auctoritas & fidei Christianæ veritas, populus Romanus, qui ex gentilitate artium Ecclesiæ tantum intraverat *v. 2.* oppugnabat veritatem verbi, auctoritatem scripturæ & falsis detorsionibus & traditionibus effecit, ut dicta testium facta fuerint Odor mortis ad mortem. *Post dies tres istos autem & dimidium, spiritus vitæ ex Deo intravit super ipsos, & constiterunt in pedes suos, v. 11. h. e.* quarti diei sive temporis parte aliquâ elapsâ, effecit Deus ut senserint hostes veritatis, se testimoniis duorum testium convinci. Multos enim Deus contra hanc Bestiam excitavit, qui gladio verbi Divini contra illam pugnarunt, mendacia illius confutarunt, exortamque semel Evangelii lucem, nullis Satanæ artibus oppressam uel extinctam clarè per orbem Christiarum propagarunt. Tales fuerunt Waldenses, Albigenses, Piccardi, Taboritæ; ex Waldensium schola, *Johannes* WICLEF, Professor Theologiæ in Academia Oxoniensi, qui publicè asseruit Papam Antichristum esse; Purgatorium, Imagines, Invocationem Sanctorum, Transubstantiationem, Indulgentias, alioſque errores acriter oppugnavit.

12. Hanc Judæorum Conversionem antecedent. 1. Destructio Antichristi, *Apoc.* 18. & 19. Quia Papatus est maximum Judæis offendiculum, ex Papismo autem quia latè dominatur, totum æstimant Christianismum. Ut igitur conversio Judæorum ritè possit peragi, debebit extirpari Papismus ut videant non esse Idololatriam in mundo, quam illi maximopere detestantur. 2. Gentium Vocatio: *obduratio enim hac tantisper evenit Israeli donec plenitudo Gentium introierit, & ita totus Israel servabitur. Rom.* 11. 25. 26. Et ut ad æmulationem provocentur, *vers.* 11. qui locus desumptus est ex celebri illo cantico Mosis, *Deut.* 32. 21. Cum ergò Judæi videbunt magnam multitudinem Gentium Ecclesiæ communionem intrasse, ad æmulationem sanctam, seriumque colendi Deum in Christo, præ Gentibus studium tandem excitabuntur, Christianam fidem suscipient, sicque fiet, unus Grex, unus Pastor, unum Ovile. Ubi autem hoc & quando fiat, præcisè determinare non possumus.

13. Judæorum Conversionem consequentur. 1. Christi, tanquam Regis & Hæredis summum Imperium, in omnibus Regnis, Linguis, Nationibus: quod fiet buccinante septimo Angelo, cùm omne Dei Mysterium consummabitur. *Apoc.* 10. 7. & 11. 15. fientque omnia regna mundi, Domini nostri, & Christi ejus, qui regnabit in sæcula sæculorum. Quia

Taberna-

Tabernaculum Dei (Christus) erit cum hominibus & habitabit cum eis, & ipsi populi ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum, *Apoc.* 21. 3. Neque dominabitur amplius Thronus nequitiæ, se associans Deo, neque Throni multi, in quibus sedeant; sed Thronus unus candidus, *h. e.* Ecclesia Christi se extendens in totam terram. *Apoc.* 20. 4, 11. & coram illo stabunt parvi & magni, & judicabuntur ex libris, *h. e.* ex Scripturis & per Scripturas, *ver.* 12. 11. Pacificus Ecclesiæ status, saltem non talis, qualis antea fuit, liberata à persecutionibus, & excusso Antichristi jugo, super quo exultabit Ecclesia Dei, & canet Cœleste Alleluja, quòd meretricem illam magnam, quæ corruperat terram Scortatione suâ, damnavit, & sanguinem servorum suorum ex manu ejus vindicavit, *Apoc.* 19. 2. Hanc pacem prædixerunt Prophetæ, *Esa.* 2. 4. *Qui judicem aget inter Gentes, & corripiet populos multos: ut tundant gladios suos in ligones, & hastas suas in falces; non attollat gens una in alteram gladium neque discant amplius bellum.* Conf. *Mich.* 4. 3. Qualis pax quidem fuit in toto mundo sub Augusto, cùm Christus natus est, quum fuerunt alta humiliata, & humilia elata, ut omnia essent æqualia *Esa.* 40. 14. sed cui simile etiam erit fortè in fine dierum: quum montes & insulæ fugient, & erit unum mare crystallinum, mistum igne, *Apoc.* 15. 2 *h. e.* pax mundi, mixta operatione S. Sancti & luce Evangelii. Nos tamen hîc non imus in sententiam Chiliastarum cum Cerintho, Papia, Justino Martyre, & cum aliis, statuentium Regnum Christi fore terrenum, in quo Hierosolymis, sanctos ab omnibus planè & penè calamitatibus liberatos, unà cum Christo in maxima pace, voluptate regnaturos, per mille annos. Nam nos non intelligimus talem futurum Ecclesiæ statum qui ab omni prorsus calamitate & hostibus sit liber: sic enim tolleremus distinctionem inter Ecclesiam militantem & triumphantem; sed ut Ecclesia non subjaceat amplius persecutioni & dissipationi, quemadmodum fuit in præcedentibus temporibus. Et mille illi anni *Apoc.* 20. 4 sive numerentur a Christo nato, passo, mortuo, sive ab Evangelio per Apostolos in toto orbe disseminato, sive à pace sub Constantino Imperatore Ecclesiis data iam diù expiraverunt. 3. Uberior cognitio mysteriorum Dei *Dan.* 12. 4. *Percurrent multi & augebitur cognitio.* Et *Esaias C.* 11. 9. promittit terram plenam fore cognitione Dei, ut mare aquis. Item *Cap.* 65. 20 ænigmaticè idem significat, quum dicit: *Non fore puerum dierum, sed puerum centum annos natum morietur. h. e.* tantam lucem fore, ut si quis sit rudis atque insciis, instar habiturus sit pueri centum annos pati: nam pueros id jam posse scire, quod olim centum annorum senes non potuerint planè scire 4. Consummatio sæculi, impletis scilicet omnibus, quæ in libro Dei scripta sunt, libro Prophetarum reserato *Apoc.* 10. 2. 6. 7. Evangelioque in toto terrarum orbe prædicato. *Matth.* 24. 14. Verùm finis sæculi quandó præcisè futurus est, quo anno, quo die, longóne an brevi tempore post conversionem Judæorum, dostè unà cum Scriptura ignoramus.

14. Nostrum

14. Noſtrûm erit hoc futurum Chriſti Regnum expectare, atque indeſinenter Deum orare, ut fiant jam omnia Regna mundi, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſit propitius Sioni, veniat *Goël atque Aſſertor*, qui avertat impietates a Jacobo, ut ita totus Izrael ſervetur: & tandem veni citò Domine Jeſu, veni. Amen.

FINIS.